Nam quid monstri est, quod facit, ut tali caeco sui amore tumeat animus et ipsius Dei obliviscatur? Philautia falsa est. Quid monstri est, quod facit ut homo contemnat prae se alios? Philautia est. Quid monstri est, quod vult consilia sua anteferri, et promittit sibi licentiam faciendi quodlibet.? Philautia est. Quid denique est monstri, quod trahit secum infinitum agmen et chaos reliquorum scelerum et fiducia sapientiae, virtutis ac felicitatis audet majora viribus quibus tandem evertitur? Philautia est. Radix illa omnis mali et infelicitatis.

Contra ea quis non videt, nisi insanum habeat sinciput, quam magnifice, quam egregie, quam laudabiliter quaestum suum exerceat Modestia. Modestia enim est summum ornamentum cujusvis aetatis teste Cicerone, artem vincit teste Statio: est τιμεῖον ἀρετῆς ἡ σωφροσύνη: teste Menandro. Haec haec digna laudis agalmate virtus, ambabus haec amplectenda manibus. Nam haec in faciendis studiorum progressibus felicissime procedit. A Contrario

Quapropter vos Jovialia ingenia, vos VOS hoc vitium ab animis quas conspurcat misere, removete et ad koracas amandate: nolite vobismetipsis adulari et blandiri: abeant valeant omnes φίλαυτοι, qui nil nisi ignominiam et vituperium reportant. Ite per saxa per ignes extremos ad Indos. Venena estis, quae si in ipsius juventae face bibuntur, turgentem reddunt mentem eamque tandem in foveam omnis miseriae praecipitant. Praesertim autem nidificat haec pestis in Paideuteriis seu scholis: Sed

Principiis obsta sero medicina paratur
Cum mala per longas invaluere moras

Haec